Crac. Coll. S. J. Palatium immortalitatis ab architectante aeterna sapientia Andreae Trebicki Antistiti Crac. positum.

PALATIVM IMMORTALITATIS,

Ab Architectātē Æternâ Sapiētia,

ILLVSTRISS: AC REVERENDISS: PRINCIPI

ANDREÆ TRZEBICKI

ANTISTITI CRACOVIEN:

SEVERIÆ DVCI,

IN REGALI COLLEGIO CRACOVIENSI

SS. PETRI & PAVLI APOSTOLORVM

SOCIETATIS IESV.

Longè

MVNIFICENTISSIMO

Religiosarum Ædium

ERECTORI,

POSITVM.

Anno currentis sæculi. 1672.

Aſsimilabitur viro ſapienti,
qui ædificauit domum
ſupra petram. *Mat: 7.*

Petra Vaticani geminas capit vna Volucres:
Nidus SISMVNDO TRZEBICIOq; Sacer.
Hîc bene conueniũt, & in vna ſede morantur,
Regia Majeſtas: TRZEBICIANVS amor.

A
nimae
Ordinum
R E G N I,
S E N A T V S
ORACVLO, PRÆ-
SVLVM PHÆNICI,
MECOENATI
diuinè prodigo, Hoſpiti
pergratiſsimo, *Ill:* & *Rńd:* *D.*
ANDREÆ TRZEBICKI
Epiſcopo Cracouien: Duci Seueriæ,
æternùm conſtitura aſsurgo

PYRAMIS.

Minor ſum, quàm vt eò pertingam,
quò ſua meum Munificētiſsimū Principē
euexit Celſitudo. Minor omni, quod Bene-
ficentia eius imperauit, debito. Par tamen, ſi
Voluntatis, promptitudinū architectæ, grāde-
ſcā ſublimitate. Ad illiꝰ, præliminaribꝰ obſequijs,
Ædificij, conſiſto Limina, cui & Genꝰ & Formā, re-
ponēda in ærario Numinis, & hoc nomine Regina
Pecunia, dedit: cui quot lateres illati; tot pretioſi lapi-
des, Epiſcopali Mitræ, pretiū faciēte cœlo, intertexti. In
quo, tot, ad inuidiā peruetuſti Menonis, ille, cui nomē eſt
Oriens, locuturas Orbi percenſebit Statuas, quot Eccleſiæ &
Suæ Celſitudini ſuppedaneos numerabit D. Ignatii Filios: in
quorū animis profūdiora, perennaturæ recordationis, & inclina-
tæ gratitudinis, quàm in terræ viſceribꝰ, iacta ſūt Fūdamenta.

In Collegio Cracouienſi
DD. Petri & Pavli Apoſtolorum,
Societatis Iesv.

Ad primam Religioſarum Ædium, ab Illu-ſtriſsima & Reuerendiſsima Celſitudi-dine ſua erectarum, apertionem.

REGIÆ,

SIGISMVNDI III.

POLONIARVM AC SVECIÆ,

REGIS

ET

ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

PRINCIPIS,

ANDREÆ TRZEBICKI

Episcopi Crac: Ducis Seueriæ,

Beneficentiæ PARALLELA.

Tēpla SIGISMVNDVS posuit, Pauloq; Petroq;,
Præsul ponit ijs, ædificatq; Domum.
Gratia SÎSMVNDI pro Festis nomen habebit:
Præsulis affectus, quotidianus erit.

ALTERA

PETRI, ET ANDREÆ,

PARALLELA.

Con sociauit amor Fratrum par: Gratia rara.
ANDREÆ sociâ iungitur arte PETRVS:
Montibus in Thabor ne solus PETRE labores,
ANDREAS Christo Pegma perenne struit.

De
Petra excisus
Lapidis Angularis,
In petra consisto Petri,
OBELISCVS,
Omni meo fastigio, Præsuleam
Profundè veneratus Celsitudinem.
Non profana me Praxitelis manus,
Ad praxim impolitæ nũc politiæ nata,
Nec ars Myronis olim admirabilis,
Sed Munifica, & Coelestis architectonicæ perita,
JLLVSRISSIMI & REVERENDISSMI PRINC:
ANDREÆ TRZEBICKI
Manus, beneficè fundauit, erexit, sublimauit.
Pudet me tam demissum, infra Eius,
Superorum æmula, Merita esse:
Pudet non adæquare, Tanti Principis
Præaltam, erga Minimos, propensionẽ:
Stabo tamen æternùm, nec verebor,
Temporis ruinas: nam non tẽpori
Sed Æternitati sum fabricatus.
Patieris *JLLVSTRISS. & REVEREN:*
PRINCEPS, me humi repere,
Vt Tu, pro Tua erga
Cœlũ promptitudine,
Alta Cœli assequâre.

Ita militans in terris, Societas IESV, centuriatis suorum aduouet studijs.

FVNDATORI
Religiosarum Ædium,
Amplissimo.

Ita Triũphans apud Superos, SOCIETAS IESV, coronato suorũ adpromittit Cœtu

AMPHION
SARMATICVS

SI quid ſonoro creditur Orpheo,
Amphionæis ſi fidibus fides;
Credetis? id votis precantûm,
Viſtuleo remeauit alto.

Vides, vt illis, quà nimius ruit,
Bielana præter Vandalus ardua,
Se ſponte pennarum innocenti
Dat niue, littoribus, Volucris.

Quæ te, Lechæi ſors bona climatis,
Abvſq; tractum Strymonijs vocat
Olor fluentis? Auſpicatum,
Perpetuo Patriæ ſereno,

Trzebiciorvm noſcimus Alitem.
Vocalis Hoſpes vix bene proximo
Succeſſit amni; cùm beatam
Sidereâ dedit arte vocem.

At, en! propinqui colla cacuminis,
Criſpo comatum gramine verticem,
Nudare feruent, deſuperq;
Innocuam pepuliſſe glebam:

Hinc ſub tenaci dura ſilex iugo
Tumultuari; iamq; adamantinum
Rupiſſe vinclûm; iam recluſô
Saxa rapi fugitiua paſſu!

Ergo

TRZEBICIANI *scilicet Alitis*
Canora mandant classica. Possidet,
Totosq́, Cygnea, reuellit
Cautigenas, sitis vna Vocis.

Ergo sequaci iam pede, rupea
Campos inundat turba; frequentibus
Diu litandum præparata
Obsequiis cumulare nectar.

Tum per supini deflua Vistulæ,
Quocunq́, ductum pôrgere cæperit,
Fontisq́, vocalisq́, nutûs
Imperium, sequitur fidelis

Procella saxi. Iam prope, Regium
Cerni Vauellum, conscia subditæ
Sortis, salutat: iamq́, sacris
Diue tholis tibi, PETRE, *iunctas,*

Impendioso prodit in areas
Nisu. frequentes hîc Salios, age,
Specta viator. En vt aptô,
Ad numerum facilis mouere,

Cygnea, tractos, diuidit ordini,
Vox. Ille molis grandior, intimos
Subit recessus, hospitalem
Ponè trahens lapidum cateruã.

Hic læuigatô mitior aspici,
Vultu, subactum, pectore viuido
Ferrum prehendit, eruditis
Vndiq́, Præsuleam coronans

Ædem quadratis. Tollere parîetes
Illi laborant: Ardua fornicum
Hos cura cingit, dum quietô
Atria circumeunt rotatu.

 Circa

Circa Palaſtram multa Theologam
Pars feruet; illos celſius, impiger,
Vicina terrarum peroſos,
Cantus agit, ſocios trecentis

Hærere pinnis; indeq́; ſiderum
Luſtrare Cyclos: Marmoris, hunc iuuat,
Clarere proximum ſereno,
Et Dominum coluiſſe ſtemma.

Demum architectos, promptior, in vicē,
Pars multa, cantûs ambit, Olor, Tuos,
Diuine, ſurſumne, an deorſum,
Flexanimo velit ire juſſu?

At Tu, canoro, perge reciprocam
O Cygne, vocem tendere, Claſſico:
Præcelſa, dum Te Conditorem,
Tecta ſuper, radiet Coronis.

TRIBVTVM
GRATIARVM.

SISMVNDIANÆ, nobilis æmulus
Promiſſe quondam, Munificentiæ,
Dum templa Principiſq; PETRI
Tecta ſubis, & amæna luſtras

Prælargus auctor Pergama; quæ Tuo
Dicata CYGNO, Fama loquax canet,
Quouſq;, cœlo teſte, grati,
Viua Tuæ monumenta Famæ,

Sta-

Stabunt alumni. quis tibi suppares
Facundiori plenior Entheo
Laudes refundat, ô serena
Sarmatici Cynosura cæli!

Cùm Te benigno sidera munere
Fudêre terris, inclyte Præsulum
Ducumq; PRINCEPS, non coruscos
Cynthius accumularet ortus?

Tunc & refusæ splendidior tulit
Lucis tributum; congenitam Tibi
Exinde liberalitatem
Attonito speculatus ore.

Hinc illa sacræ Regia Palladis,
Tangens propinquis astra decempedis,
Fastigiatas æquat arces,
Præsuleis benè nixa fulcris.

Hinc pænè ab ipsis manibus Hectores
Surgunt Poloni, quos Tua præpotens
Auro manus resuscitauit,
Hostibus excidium daturos.

Focis & Aris, dum bene consulis,
Vtroq; PRINCEPS. Te meritò Pharum
Felicitatis: & Polonæ
Præsidium ingeminabo gentis.

Ter iö ternæ plaudite Gratiæ,
Ter antra Cyrrhæ, ter iuga Carpati,
Iö repercussum per auras
TRZEBICIO reuehant OLORI.

IN

IN
STEMMA
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI.

I.
Bonis Auibus.

Cygnus in auspicio, Nautis faustissimus ales,
Ergo Tua haud poterit PETRE *perire Ratis.*

II.

Iure BONIS AVIBVS *Lechiam volitare putârim*
Cuius fortunam, Candide CYGNE, *vehis.*

III.

Dicuntur Cygni super æthera ferre Pöetas:
Theologis PETRI *sufficit vnus* OLOR.

IV.
Pro Aris, & Focis.

Pro Patria Patrijsq; Sacris vigilantior Orbi
Sarmatico inuigilat TRZEBICIANVS OLOR.

CRACOVIÆ,
Ex Officina SCHEDELIANA S. R. M. *Nec non Illustriss: ac Reuerendissimi D.* Episcopi Cracouien: Ducis Seueriæ. Typ.